



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Jesu Christi Annus M. D. Sanctißimi Patris nostri MXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

8

Usque ho-
diecomper-
tissima Be-
nedictio.

num, demonstrandum duximus, & vero etiam cum defecisset de terris Sancti & benè meriti viderentur, Sanctum & pervetustum hunc Ordinem, Sanctos & optimè meritos edere nunquam destitisse, suscepimus saltem obiter, comprobandum; eo imprimis collimantes, ut quæ in oculis pene nostris, & tanta propinquitate temporum gesta sunt, potentiora atque efficaciora sint, excitandorum animorum instrumenta, & vitæ nostræ, ad exempla majorum & Confratrum nostrorum instituendæ argumenta & incitamenta. Quod ad summam DEI Ter Optimi Maximi, Magnæ & verè BENEDICTÆ MATRIS Benedictique Patris gloriam, brevi Chronologia oculis subijcimus, illud Lectorem Benevolentium monentes, nos obiter tantum, paucissima ex innumeris delibasse, qui si per tempus & patriæ motus licuisset, daturi eramus tale ætatis nostræ speculum, ut repræsentasse, primævum Ordinis splendorem videretur.

Paucissima
ex innume-
ris delibantur.

JESU CHRISTI ANNUS M. D.

Sanctissimi Patris nostri MXX.

Auspiciatissimum sæculi à Christo nato sexti decimi initium, fortunatissimo decimi quinti exitu commendandum. Desierat istud [ut alia à sanctissimi Patriarchæ ortu atque obitu ad præsens usque fluxerant atque defluerant omnia] cum ingenti Benedictini Ordinis merito & Gloria: Cum enim Archiducis sui, ultimi Italiæ Apostoli exemplo, Monachi nostri longo decursu sæculorum, non in Europæ solum sed Asiæ quoque atque Africa Regnorum Provinciarumque pene innumerabilium CONVERSIONE immenso labore, mirabili successu fructuque strenuè atque indefessè laborassent, suamque operam & Romanæ Ecclesiæ, & Cælo, DEOQUE Ipsi, ingentibus ipsdemque æternis meritis commendassent; unum deesse videbatur, ut quo avarities ambitioque mortales, in infinita pericula quin & mortem, etiam extra penè, ut sic loquar, mundum raperet, aurumque quære cogeret & dominatum, eo quoque nostros, longè tamen diversum ab illo, solius scilicet, propagandi Christi nominis Studium verè Religiosum, tam procul abriperet, perque tot ma-

Monarcho-
rum de to-
to Orbe me-
rita.

ria periculorumque millia in novum usque & incognitum Orbem transportaret, in quo quidem non argentum, non aurum, aut gemmas, atque uniones, sed rerum omnium indigentiam, labores, cruces, mortem ipsam pro Christo sponte subirent, Sanguinemque SANGUINI tam pretioso Redemptoris Christi Jesu refunderent, & consecrarent, quo quidem DEO gratius quidquam facere non posse viderentur. Quod ipsum anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio generosissime magno animi ardore aggressi, sæculi illius præcipitantis exitum non minus, quam initium sequentis, memorandis ad æternitatem omnem & conatibus, & favente Cælo successibus, insigniter nobilitarunt. Sed de hoc ipso meritisimum de Ordine nostro, gratissimæ recordationis Arnoldum Wionium Belgam Duacenum, alterum Historici maris domitorem [et si non sine nonnullis, in tanta ante alios tentata vastitate erroribus] alterumque Columbium nostrum audiamus: Benedictus DEUS, inquit, & Pater Domini nostri JESU CHRISTI, qui benedixit nos in omni Benedictione spirituali, in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti & Immaculati, in conspectu ejus in charitate. Quid quaeso Ecclesiæ sanctæ, DEI protulit Ordine Benedictino sanctius? Quid ejus Instituto immaculatū magis, cujus anima lethali vulnere nunquam maculata legitur? Quid charitate Benedictina mirabilius dici potest, & majus? Illam enarrare & demonstrare cum hætenus in hoc unum incumbuerimus, quid juvat? Europam, Africam, Asiam, nonne seminibus ejus repleta vidimus? Nonne hæc sua sancta prædicatione Regna, & Provincias convertit? Sua humilitate superbos Reges vicit? Tyrannos sua constantia terruit? Idola subvertit suo Zelo? Sua doctrina sapientiam hujus sæculi confudit? Barbariam effera mansuetam sua simplicitate reddidit? In via & inaccessa, per via sibi suo labore fecit? Nonne pro hæc, quidam in solitudinibus errantes in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ inventi; alij ludibria & ver-

Etiã de
novo orbe
maximum.

1493.
Migro no.
strorum in
Indias.

Elogium
insigne Or-
dinis

Celebran-
tur merita
Patrum
Ordinis.

verbera experti, insuper & vincula
 & carceres: alij lapidibus obruti, alij
 gladio necati, alij igne consumpti,
 alij diversis tormentorum generibus
 affecti sunt. Nec his tamen termi-
 num suis pedibus posuit. Magna est
 enim Domus Benedicta, & ingens
 locus possessionis ejus. Gentes quas
 non noverat, semen ejus hereditavit,
 civitates desertas inhabitavit; & non
 est finis acquisitionis ejus; transfreta-
 vit mare, & adinvenit terram pru-
 dentia sua, quam prae paravit ei Deus
 in aeterno tempore, ex qua attulit
 fructum super aurum electum, ut sit
 illi in laudē gloriae ejus. Benedicens
 benedixit ei DEUS, in benedictione
 tali, quae omnem benedictionem su-
 perat. Antipodas namque, quos veteres
 ut fabulosos rejiciebant; nostra hanc
 aetate experientia veros repertos **BENEDICTINORUM PRIMITIAS**
 esse voluit, ut quemadmodum praeteritis
 saeculis Benedictini, voluntarie, ex mera
 Charitate sese totos in **CONVERSIONE GENTIUM**, ad DEI
 Laudem insumpserant, ita nunc digna,
 pro meritis suis remuneratione, ab
 Ipso ad pium hoc opus eligerentur,
 ne alij hanc eis laudem quae ipsis solis
 debeatur, praeiperent. Cum enim
 Columbo Genvenfi Duce anno Domini
 circiter 1490. India occidua, quae
 Indico nomine Peru, & ab Americo
 Vesputio Florentino, qui quatuor
 navigationibus eam aperuit, **AMERICA**
 [quarta pars orbis dicitur] nunquam
 antehac cognita, imo, ut dixi, pro
 fabulosa habita, reperta non sine
 Divina voluntate fuisset, & Ferdinandus,
 ac Isabella Hispaniae Reges, ab Alexandro
 Papa VI. anno 1493. 4. Cal. Maij
 Bulla, legitimi illius Domini
 constituti, ita tamen, ut praecones
 Evangelij illuc mittere tenerentur,
 Dominus Bueill Hispanus Catalanus,
 Monachus Ordinis S. Benedicti, S.
MARIAE Montis Serrati, quod tunc
 primum agente Domino Garfia de
 Cisneros, illius Congregationis
 Reformator, sanctitatis suae radios
 expendere incipiebat, ob **SINGULAREM
 SANCTITATEM, ET ADMIRABLEM
 DOCTRINAM** Primus novi Orbis
 Apostolus electus, & **INDIARUM
 ARCHIEPISCOPUS, & PATRIARCHA,** ac

VICARIUS SUMMI ROMANI PONTIFICIS
 apud illas Regiones nominatus est. Qui
 sic electus duodecim sibi Sacerdotes,
 Viros Religiosos elegit, & Benedictione
 pontificali percepta, omnibus ad hanc
 novam Evangelij Praedicationem
 necessarijs prae paratis ex Hispania
 discessit die 25. mensis Septembris
 anni memorati. Hucusque Arnoldus.

Fuerunt autem hoc ipso anno fortunatissimi
 nostrorum, in America successus, & quod ad
 cumulum plenitudinis Glorae Benedictinae
 unicum deerat: Omnibus jam Europa, Asia,
 Africa, Orientis atque Occidentis, Provincijs
 nostrorum, gloriosissimo Sanguine tinctis
 atque consecratis, felicissima hanc
 Martyrum purpura, sub hac ipsa saeculi
 prioris exitum, sequentis initium
 Novus ille Orbis noviter initiatur,
 excolitur, impingatur & consecratur.
 Trucidati aliquot ex Bueillij socijs,
 quod impatientissimē Gentiles ferrent
 sua passim Idola omnia destrui, &
 comminui, quae summo ipsi, Majoresque
 ipsorum cultu tot saeculis tamque
 religiose observassent, & venerati
 essent: Quorum novi hi Apostoli
 nostri, in unica solummodo [exceptis
 tot alijs quas Christo lucrari coeperant
 Provincijs] Hispaniola Insula, plus
 quam centum septuaginta millia
 confregant. Frendente Infero tam
 antiqua sese possessione, adeo brevi
 tempore, & vix causa indicta,
 exturbati, qui, ceu Jure quodam,
 & antiqua Juris praescriptione,
 contra **ALTISSIMUM**, tanta &
 felicissima caeteroquin, situ,
 oportunitate & omni rerum
 necessariorum insolentissima
 affluentia regna, tanquam
 Tyrannorum nequissimus,
 & turbulentissimus usurpaverat.
 Erecta quam primum debellati
 Inferi indicia solemnissima
 diversissimis Provincijs &
 Regnis altissima & longē
 lateque elegantissimis
 collibus & amplissimis
 campis conspicua Crucis
 Dominicae signa & trophaea,
 a primo Novi Orbis
 Patriarcha solemniter
 consecrata, quae paulo post
 summa in Veneratione ab
 incolis habita, admirandis
 insuper, a DEO prodigijs &
 miraculis commendata
 atque illustrata sunt; quas
 inter, quam in Hispaniola
 olim erexit ipsa

Nostrorum
 in America
 successus.

Martyres
 primi
 Americae.

Trophaea
 debellatae
 Gentilitatis.

B

ipsa

Benedictus
 Divus.

Christophorus
 in Cebus
 navigavit.

Dom. Eucl.
 Mont.
 Serrati.

Judicium
 primus
 Patriarcha.

*Miraculo-
sa conser-
vatio ejus-
medi Tro-
phæorum.*

ipse & consecravit, eâ deinceps celebritate [necquidquam frementibus, evertere, & cremare fatagentibus idololatriis, Divina virtute, manifesto prohibitis] à novellis Christianis religiosissimè & cultu assiduo, ac perenni est frequentata, ita ut percrebescente miraculorum famâ, Insula deinceps eadem, non aliter, quàm gloriosissimo sanctæ Crucis nomine appellaretur. Videatur. Honorius Philop, Petrus Cieza, Genebrardus & Annales nostri Benedictini. Edit. Venetâ, &c. Et debitus sane hic honor Apostolatus Divi Patris Benedicti posteris visus est post nongentos integros annos, cum jam tanto ante S. Brandanus ejusdem Ordinis Abbas, vir planè mirificus, omnia Novi Orbis Inventorum ingenia & Studia, sua admiranda, & plena prodigijs navigatione prævertisset, & ad Fortunatas usque Insulas septidenni navigatione, non sine Divinæ auræ aspiratione difficillimam expeditionem convertendarum Gentium. Studio suscepisset. Is denique domum anno Christi 580. reversus cum descriptum à se totius itineris insigni volumine cursum & successum, in ara. Deiparæ tanquam Benedictini Ordinis primæ Institutrici consecrasset, conversionemque Novi Orbis, tanto post in feris suæ professionis posteris denuo initiandam commendasset. Sacris dein ad aram eandem operatus his finitis Spiritum Creatori reddidit, & felicissimo mortis genere, cursum navigationis, & vitæ complevit. Ut proin meritò commendatam sibi à tanto Apostolo Indorum, tanti Apostolatus functionem, Apostolicam expeditionem Apostolorum Regina in se suscipiens, eam, licet, tanto post, in suis Montferratensibus restauraret, [nimirum ut promissum à Numine Sanctissimo Patriarchæ nostro fuerat] tanta ab Ordine suo ante mundi dissolutionem præstanda, ut & summus Ecclesiæ Doctor Magnus Gregorius libro 20. capite 17. memorat: *Sanctus Benedictus, inquit, precatus fuit DEUM, ne permetteret Monachos suos ab infidelibus interiri, quoniam decreverat, ut illinomen ejus per totum orbem terrarum fervent, predicando Evangelium, &c.* Ita Magnus Doctor.

Prævit proin denuò, ut infinitis alijs exemplis, in conversione Gentium reliquos sanctos ordines pulcherrimo hoc Studio Benedictina vetustissima Familia, & plurimos non accendit solum, sed deinceps fovit, & quibuscunque potuit, subsidijs iuvit, uti in promovendis omnium sacrarum familiarum. initijs, & progressibus plurimum semper præstitit. Quæ officij genera prolixius in Annalibus nostris Benedictinis, & Menologio commemoramus.

Moritur hoc anno insigne sacræ Purpuræ, Ordinis nostri, & Orbis universi decus Andreas ab Espinaj Armoricensis Gallus ex Monacho Religiosissimo, & Priore meritissimo S. Martini à Campis Congregationis Cluniacensis, ob insignes naturæ doctes, & vitæ merita, certatim ad diversas Cathedras & maximos honores exambitus, Burdegalensis, tum Arelatensis, postea Lugdunensis Archiepiscopus creatus, Carolo VIII. & Ludovicus XII. ob incompartibilia talenta charissimus Gubernator Parisiorum illustrissimus renunciatus, urbem & Regnum immortaliter deneruit, neque Ecclesijs minus quàm Regibus utilissimè consuluit. Ab Innocentio denique octavo eminentissimo purpuratorum Patrum Sacræ Rom. Ecclesiæ Cardinalium adscriptus, Senatui, & præbyter Cardinalis SS. Silvestri & Martini Tituli Equitij in Montibus ordinatus, illam quoque dignitatem sanctiore vitæ exemplo mirificè exornavit, magnumque, & æternum Ordini decus conciliavit, cujus alia inter illustre illud, & dignum, aternitate Religionis exemplum celebratur: cum Carolum supra dictum Regem eo nomine octavum sui longè amantissimum ad bellum Neapolitanum comitari cogretur occurrentibus Venetorum, & Ludovici Sfortiæ copijs, Sacerdotibus alijs, & imprimis Guilielmo Buscheto Sacræ Rom. Ecclesiæ Cardinale arma protinus capientibus, & omni militari apparatu ferreo sese communiuntibus, ipse solus tale damnans, ac detestatus consilium, arma Sacerdoti & Cardinali magis convenientia accepit: etenim tyra tantum capti imponita, solaque Sacerdotali ehlamy-

*Andreas ab
Espinaj S.
R. Ecclesie
Cardinalis.*

*Regum
Amor.*

*Insignis
armatura
passimi
Præsulis.*

chlamyde indutus, Crucis Dominica signum, dextra intrepidus assumpsit; quò confusus scuto simul, & gladio à Caroli Regis latere nunquam discedens, armatorum omnium tela, & spicula; elusit, & dubio procul, uti plus animi Carolo addidit, sic & ceteris, qui armati pro Rege stabant, & pugnabant, plus præstitit; certè Sacerdotalem dignitatem, etiam hosti verendam & reverendam, pulcherrimo exemplo commendavit. Decessit religiosissimè hoc ut diximus, anno, die decima Novembris Parisijs, ibidem magno Regis, & bonorum omnium luctu apud Patres nostros Cœlestinos insigni pompa tumulatus. Fratres habuit Robertum Nannetensem, & Joannem Mirapicentem primùm, postea Valentinensem episcopos; Patrum vero Jacobum Redonensium Pontificem, de quibus consulendi Claudius Robertus, Joan. Chenu, alijque Galliarum scriptores.

Nec minore felicitate quàm Gallia & Hispania, etiam Italia virorum illustrium hoc ipso tempore & anno ferax, alios inter sanctitate non minus quàm eruditione singulari ostendat Beatæ memoriæ Bernardinum Gadolum Monachum, & Abbatem felicissimi illius Sanctorum Promptuarij, Archisterij Camaldulensis, qui, ne suis solum prodesset, sed omnibus, & maxime Religiosis consuleret, multa egregij ingenij, & summæ Virtutis monumenta Ecclesiæ & omni posteritati reliquit.

IN OMNES SACRÆ SCRIPTURÆ Libros doctissima Commentaria.

De fugiendo sæculo & Religione complectenda. Librum I.

Contra Superbiam & ambitionem Librum unum.

Sermonum variorum ad Religiosos Librum unum.

Epistolarum variarum Spiritu Benedictino plenissimarum Lib. I.

Opera S. Hieronymi ab ipso in Ordinem redacta.

Sed neque Germaniæ nostræ Benedictini fervor spiritus, adeò defuit, ut præcipitante in omnem licentiam orbe christiano, plurimi summis conatibus id non agerent, ut quoscunque possent à præcipitio vendicarent;

& disciplinam, ipsa mortalium omnium naturâ, remittentem, & fatiscientem, revocarent, & restaurarent, imò restituerent, uti magna, & sua, & Canobij, & vetustissimæ juxta atque Illustrissimæ familiæ suæ gloria, hoc ipso anno facit Hermannus à Boyneburg Imperialis, & longè splendidissimi, ac verè Augusti Archisterij Corbeiensis Abbas, qui, quâ erat generosissima sanguinis Boyneburgij præstantia, multoque majore Benedictini imò Divini Spiritus concitatione, animadvertens idem Religiosos quoque homines, quod profanos, imò quod ferrum, & chalybem, quod marmora, & quævis mundi durabiliora, pati, ipso usu atteri, nisi maxima illorum, quorum industrie interest, & serventur cura, & restituantur, intepefcentem quoque sui Archisterij penitus animadvertens disciplinam, Conventus Nobilissimi, ipsa Nobilitatis decepti Nomenclaturâ, in delicatiorè à communi, Religiosorum etiam, sorte, qui Nobilitatis nihil, quàm Benedicti Patris idem jus prætenderent, & Professionis societatem, melius haberi, & licentiosius, quàm ex agresti nati casa desideraverant, & vero etiam contenderant, Generositatem in Spiritu potius, quàm sanguine & carne consistere suis suomet exemplo comprobans, non absque labore magno & sudore, nullum non contra moventè lapidem infero, ipse obstinatissimo adversum hunc, & contradicentes quoscunque animo REFORMATIONEM solidiorem induxit, fovit, promovit, ut in tanti viri gratiam huc usque Numen Opt. Max. Boyneburgiæ, & Bemelbergiæ Illustrissimi Sacri Rom. Imperij Baronum familiæ benedixisse videretur. Certè exemplum tanti Germaniæ Archisterij, & Hermanni, toti per Germaniam Ordini plurimum profuit, nec vicina solum, sed plurima alia, ad Revocationem & restaurationem Veteris disciplinæ insigniter excitavit & animavit, ut Hermanno Boyneburgio Corona Muralis debeat. Nec unius hæc loci in Germaniæ, cæteroquin præ alijs frigida, regionibus felicitas fuit, hinc enim & inde Benedictini fervor spiritus sese

Hermannus de Boyneburg Abbas Corbeiensis.

Generositas Spiritus supra omnem generis Nobilitatem.

Hermannus Monachus sacrum reformat.

B E N E D I C T U S

utiliter prodidit, & bono publico Ordo verè Benedictus semper, & cœlo & terris dedit, quorum profectu, & superi sibi gratularentur, & usu ac fructu mortales juvarentur, ex illis præsentî anno Gerardus de Halyn S. Jacobi Leodiensis Abbas, Vir D E O, & hominibus acceptus post vitam sanctissimè exactam, miserè huic mortalitati valedixit, cum annis septendecim suo exemplo facem lucidissimam Ordini, & orbi prætulisset, omni eruditione non minus quàm Virtutibus cultissimus, perenne sui Cœnobij decus, inconsolabili omnium luctu 18. Augusti omnium amoribus præreptus, quem Joannes Comes ab Horne Princeps, & Episcopus Leodiensis tantopere luxit, ut multis diebus contabescere videretur, & vix quemquam admittere, & audire sustineret, *ex monim. ejusdem Cœnobij.*

Gerardus de Halyn Abbas S. Jacobi Leodij.

Moritur summo omnium luctu.

Nec minore fama, & gloria effulget hoc ipso anno, & cum bono Monasterij consulit, tum publico venerandæ memoriæ Antistes Conradus de Rodenberg Monachus, & Prior Sanctæ MARIÆ ad Martyres Trevirensis, postea Abbas sancti Joannis Baptistæ, Rinkaugiensis insignis disciplinæ Monasticæ Restitutor, & Zelator, Cultor Deiparæ singularis, qui & præstantis ingenij pulcherrima monumenta à morte sua posteris profutura reliquit.

Conradus de Rodenberg Abbas Rinkaugiensis.

In Laudem Cœlitum Imperatricis Librum unum sumpta de singulis ejusdem membri materia.

Vincam Domini Sabbaoth. . . Librum I. Exercitium Novitiorum. . . Librum I. De Preparatione ante Missam. Librum I. Orationum variarum. . . Librum I.

Ejus Libri Mss.

Vulgatur hoc ipso anno typis in Archilterio Beatissimæ Matris Virginis Catalaunensi Montis Serrati, **EXERCITATORIUM VITÆ SPIRITUALIS**, Authore Viro illuminatissimo Beatæ memoriæ Garfîa de Cisneros Abbate ejusdem sanctissimi loci, sive potius compendium magni operis ab eodem concinnati, & Studio religiosissimo humilitatis, absque nomine aliquoties descripti, atque aliquot Bibliothecis crediti, de quo viri eruditissimi, & Religiosissimi diversorum Ordinum, quotquot majorem illum videre contigit con-

Excellentiorum Vite spirit.

Ven. Garfîa de Cisneros.

stanter asseverarunt, nullum ipsi uspiam similem reperiendum, in quo fundamentaliter, ad amissim res solidè spirituales, & praxis earumdem atque usus tractetur, imò arcam esse, thesaurorum sacrorum, & reconditissimarum viris sacris devotionum & meditationum, fontemque inexhaustum lympidissimas Divini Spiritus aquas Contemplationis perennis rivulis disfluentè, & exundantem. Ex quo, communicantibus ejus locis Monachis, quos ex nomine deinceps appellabimus, S. Ignatius celeberrimæ Societ. JESU Patriarcha, omnem suorum sacrorum conatum, & Exercitiorum succum depromserit, imò principia hausserit sanctioris vitæ, & animum suæ Societatis, & instituenda, & stabiliunda. Ex vita Garfîa ejusdem.

Ejus opera nscitur felicissime S. Ignatius.

Sed ante omnia memorandus felicissimus novi Ordinis sive Congregationis sub Ordine nostro, gloriosissimo sanè, & Cœlitum Augustæ longe gratissimo Titulo *Immaculate Conceptionis*, successus, confluentibus ad hoc novum institutum, seq; Deiparæ emancupantibus nobilissimis in Hispania Virginibus. Institutrix meretricissima fuit, re ipsa non minus Beatâ quàm nomine Beatrix à Sylva, Generis nobilitate, & virtutum splendore celeberrima. Hæc illusterrimo nata, genere Beatum Amadeum, & Jacobum de Sylva, primum Portalegræ Comitum fratres Germanos habuit, formæ autem elegantia ad miraculum excelluit, adeo, ut cum Isabellam Joanni II. Castiliæ Regi nupturam, inter Palatinas lectiores sequeretur in amorem insanum tantopere Castellanos solo contuitu accenderet, ut non semel cœdibus, & insignibus duellis de ea fuerit certatum, quam tamen ipsa pulchritudinem, à quo acceperat Regum Regi, Virginum sponso, nec alij, post multos contra castitatis insultus, labores consecrandam existimavit & consecravit, & quidem sub auspicijs Virginis Matris, quæ sese illi candido, & cæruleo circumamicta vestitu videntem exhibuit. Inde quamprimum in Monasterio Virginum Toletano, quod à S. Dominico nostro de Silos nomen habet, sanctissima Regula nostra

Ordo Conceptionis Immaculate.

B. Beatrix de Sylva.

Pulchritudo Virginis.

nostræ Legibus se subdidit, adeo Virgineæ Castitatis custos sedula vigilansque, ut obvelatum plurimis annis vultum ejus nemo unquam conspiceret, præter Reginam ejusque filiam, quæ semel insignem hanc gratiam ab humillima & verecundissima Virgine extorserunt. Meruit præclarissimè de amantissimâ suâ, totiusque Ordinis Matre & Tutelari Virginum Virgine, cujus honorem per Hispanias, summa cum Regnorum illorum gratulatione, sub Titulo Præfato institutæ Congregationis *Immaculatæ Conceptionis* mirificè promovit, DEIPARAM & Virginis Filium, quin & cultores in terris Coelitem Augustæ omnes coelumque ipsum immortaliter demeruit. Habuit admirandas, super Ordinis sui erectione & propagatione visiones Beatrix, & varijs à DEO miraculis illustrata est, tandemque præmonente Deipara de mortis suæ horâ edocta, plena grandium meritorum mortalitatem hanc exiit, induit immortalitatem, ad amplexus æterni Regis assumpta. In cujus defunctæ dignissima fronte Stella aurea insoliti fulgoris insedit. Inter miracula rarius illud: cum navis quæ Româ Diploma Confirmationis sui Ordinis afferre debuerat, mari demersâ esset; illud nihilominus DEI ancilla post orationem intra scrinium suum alijs admixtum chartis prodigiosè repererit. *Vid. Joan. Marietta, Vasconcellius in Anacephaleosi Reg. Lusit. & Amalloe Garriuan. Comp. Hist. &c.*

Floret mirificè in Italia sacra nostra Reformatio Beatæ Matris Virginis de Monte Oliveto, è quorum illustrioribus celebratur hoc anno P. F. Jacobus de Trajecto, ex Jurisperito eruditissimo humilis Monachus, qui hoc ipso anno edidit Librum de Modo visitandi & corrigendi subditos. Idem scripsit Commentarium super Regulam S. P. N. Benedicti, pluraque alia reliquit & ingenij & pietatis monumenta. *Ex rev. Olivet. script.*

Floret in eademmet Olivetana familia Venerabilis Pater Hieronymus à Mantua, Js cum Puerulus etiamnum mitteretur ad scholas sanctissimum Patrem nostrum Benedictum imitatus, pietatis Studium prælegit,

& ubicunque poterat à ludicris se subducens templa frequentavit. Cumque aliquando summo mane basilicam Dominicanarum Virginum ingressus, illic raptam in extasim Beatam Annam Andreafam intueretur, adeo concepto repente Divini Amoris igne succensus est, ut illico de saculo deserendo se resolveret, nilque deinceps, quam de elevanda in DEUM mente cogitaret, idque quo felicius succederet, nihil non tentaret, ut in sanctæ illius Virginis noticiam & familiaritatem deveniret. Nec displicuit Superioribus, sanctum utriusque studium, ita ut familiari litterarum commercio, mutuo mirificè animarent atque excitarent. Fructus sæpius etiam est ejusdem præsentia & alloquio, arcanorum ejusdem celestium unicè conficius, donec ea Senas mitteretur. Cùmque illius ipse absentiam inconsolabiliter desereret, ab Angelo consolari meruit, & brevi redituram intellexit. Fuit & ipse Ulberibus Divinæ consolationis asuetus, & lucrari DEO homines doctissimus, Novitiorum Magister lectissimus, Principum Mantuanorum singulare solatium, venerabilis universis. Scripsit vitam Beatæ Andreafæ, multo verò perfectius in seipso expressit. Vita excessit annis & meritis gravis, sepultus ante aram maximam suæ Ecclesiæ; cujus sacrum corpus nostra ætate, incertum, qua occasione, reserato sepulchro reperitum est incorruptum. *Ex communicatione Patrum ejusdem sacre familia.*

JESU CHRISTI ANNUS M. D. I. Sanctissimi Patris Benedicti MXX. I.

Uti initium anni, Calendas olim Januariæ, Verbum illud Infans, Deus homo sui sacri SANGUINIS purpurâ expians consecravit, sic initium sæculi hujus, uti sæcula priora omnia, uti annos à condito primùm Ordine ferè omnes, Ascetæ nostri Benedictini, gloriosissimâ pro Christo effusi Sanguinis purpura, & longè Augustissimis pretiosissimi Martyrij coronis & victricibus palmis coronant atque exornant, iidem de quibus supra Novi Orbis primi Patriarchæ discipuli & Collegæ, hoc ipso anno uti Proto-Apostoli, sic & Proto-Martyres Novi Orbis effecti. Et merito:

Falla Regia Gratia.

Meritum Beatrix incomparabile.

A Deipara de morte elocetur.

Miraculum insigne.

P. F. Jacobus de Trajecto.

Hieronymus à Mantua.

Mira Votatio.

Familiaris S. Andreafæ.

Magister Felix Novitiorum.

Incorruptio post mortem.

Initium sæculi Martyrum nostrarum consecratur Sanguine.

C